



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis


Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 1. Quid est Beneficium Ecclesiasticum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986



TRACTATUS DE BENEFICIIS ECCLE- SIASTICIS.

Hæc materia pertinet ad virtutem Religionis, nam Beneficii Dotatio, & Officium sunt altus Religionis, & pacta circa illud vetita sunt Simoniacæ.

Q. 1. **Q**uid est Beneficium Ecclesiasticum?

Resp. Est jus perpetuum auctoritate Ecclesie constitutum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter Officium spirituale.

Dicitur 1. *Jus perpetuum*, quia Beneficium institutum est, ut semper duret, adeò ut si uni auferatur, debeat tribui alteri. Hinc Vicaria non perpetua non est propriè Beneficium.

2. *Au-*

2. *Auctoritate Ecclesia* hoc est, Papæ, vel Episcopi: nam ad eos solos pertinet Officia spiritualia instituere, eisque preventus annectere. Hinc Capellaniæ non collativæ, sed à privatis, licet in perpetuum dotatæ pro Missarum celebratione non sunt Beneficia.

3. *Ex bonis Ecclesiasticis*, id est, Ecclesiæ ad Dei cultum donatis, ex quibus ereta sunt Beneficia, & ex quibus soli fructus cedunt Beneficiariis; non autem fundus, qui semper remanet Ecclesiæ, cuius bona immobilia alienari non possunt sine iusta causa, & licentia Papæ, alioqui alienatio ipso jure irrita est.

4. *Propter Officium spirituale*. hoc est, ad functiones, seu actiones aliquas spirituales obeundas, quales sunt recitare Horas Canonicas, facere Sacrum, administrare Sacra menta, prædicare Verbum Dei, &c. Nam Beneficium propter officium institutum est, & ad aliquam functionem spiritualem obligat, ex Trid. Sess. 21. cap. 3. & cap. ult. de rescrip. in 6. Ibi: *Officium propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur.*

Q. 2. Quotuplex est Beneficium?

Resp. Dividitur. 1. In Beneficium Seculare, quod Clericis Secularibus; & in Regulare, quod Regularibus addictum est, & conferri debet.

2. In